



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Sebast. Izquierdo Alcarazensis Soc. Iesv, svpremis
Inquisitionis Senatvs Censoris, Et Olim Complvti SS.
Theologiæ Professoris. Pharvs Scientiarvm**

Izquierdo, Sebastián

Lugduni, 1659

Quæst. 10. Quid sit singulare, seu indiuiduum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95620)

QVÆSTIO IX.

*Quid sit particulare correlatiuum vniuersalis:
& quod simplex?*

191 **T**Ria sunt nomina, quæ ob vicinatem sæpè confusionem inducunt, sæpèque etiam pro eodem accipi solent, *indivduum, singulare, & particulare*. Ex quibus duo priora semper sumuntur pro eo, quod numericè est vnum, distinctumque à cæteris; atque adeo non vniuersale iuxta dicendam *quæstione decima*. Tamen *indivduum* expressius dicat vnitatem numericam, quæ quædam est indivisio in plura. Singulare autem distinctionem à cæteris. Particulare verò etiam pro eodem significato sæpè vsurpetur, frequentius tamen solet vsurpari à Philosophis pro eo, quod vniuersali subiicitur, siue sit etiam vniuersale, qualis est species subiecta generi, siue non sit, ut *indivduum* subiectum speciei, ut cum sancto Thoma in 1. *Post. lect.* 12. testatur Conimbr. in *Præf. Porphyrii* q. 8. art. 1.

192 Itaque Particulare strictè, & specialiter sumptum, quo pacto est correlatiuum vniuersalis, est id, quod vniuersali subiicitur, seu, cui vniuersale conuenit, & de quo prædicatur. Vnde illud in duo membra venit diuidendum. Aliud enim est particulare vniuersale, siue commune pluribus, qualia sunt subiecta immediata generis, nimirum species. Aliud est particulare singulare, seu multis non commune, qualia sunt subiecta immediata speciei, nimirum individia, & cætera huiusmodi.

193 Igitur Particulare physicè sumptum nihilo differt à rebus ipsis, quæ per iudicia nostra, & prædicationes vniuersali subiiciuntur. Sumptum verò logicè perinde ac vniuersale logicum tanquam correlatiuum eius venit constituendum, ut bene docent Conimbr. *ubi supra*. Atque ita sicut vniuersale logicum est, quod potest esse in multis, seu eis conuenire, atque prædicari de illis, prout in superioribus exposuimus, ita Particulare logicum (quale dicitur quodvis eorum multorum, ad quæ refertur vniuersale) id erit, quod potest subesse vniuersali, ut subiectum, cui illud conuenit, eidemque subinde subiici potest, ut subiectum, de quo illud prædicatur. In quo amplius non oportet morari.

194 Disputant tamen Conimbr. *quæst. citatâ, art. 2.* An particulare vniuersali subiectum ita debeat esse vnum per se, ut non sit aggregatum plurium physicè distinctorum. Affirmantque debere esse talia particularia subiecta vniuersalibus, seu prædicabilibus essentialibus, secus, quæ prædicabilibus accidentalibus subiiciuntur, tamen addant & hæc quoque plerumque talia esse de facto. Quo iure negant hominem in communi de albo, & nigro vniuersaliter, vniuocèque prædicari, quia prædicatio est essentialis, albumque, & nigrum non habent vnitatem per se, cum quodvis eorum dumtaxat sit vnum per accidens, ut potè complexum quoddam ex subiecto, & accidente. Tantumdemque censent de similibus.

195 Ego verò cum Recentioribus ab eisdem Conimbr. suppresso nomine relatis oppositum cenfeo. Quia vnitatis, quam ipsi exposcunt in subiectis vniuersalium essentialium impertinens est, ut hæc tanquam vera vniuersalia vniuersaliter, vniuocèque prædicentur de illis. Quid enim interest particularia esse complexa compositiue physicè ex parti-

bus, ut detur vnicus conceptus eis essentialis, eisque communis, & prædicabilis de ipsis? Quo nihil deest quominus illo respectu horum verè vniuersale sit, & vniuocum. Quocirca dico prædicationes, quibus homo in communi de albo, & nigro est prædicabilis, etsi indirectè sint, verè esse prædicationes de prædicato vniuersali, & vniuoco. Sunt autem essentialis, quia partis de toto, & generis, seu potius prædicabilis mixti, quia partis de toto per aliam mutuo contrahibilis: prædicabilis inquam, mixti, non metaphysici, sed physici; iuxta doctrinam stabilitam, *quæst. 7.* patetque de similibus philosophandum est.

Hæc de particulari strictè, & specialiter sumptum pro pro subiecto vniuersali sint satis. Sequitur ut de singulari, seu indivduo sub illo contento tractemus. Sed prius adnotandum est, propositionem particularem dici à Logicis eam, cuius subiectum est terminus singularis vagus, qui etiam terminus particularis appellatur. Vnde nomen *particulare* bifariam, & quidem æquiuocè, vsurpat; primò pro subiecto vniuersali quodcumque illud sit. Secundò pro termino singulari vago, à quo etiam propositio, cuius subiectum est talis terminus, particularis dicitur.

QVÆSTIO X.

Quid sit singulare seu indivduum?

Bifariam solet vsurpari indivduum. Physicè videlicet, seu primò intentionaliter, ut aiunt, & logicè, seu secundò intentionaliter. Et priori quidem modo acceptum sic definitur à sancto Thoma 1. *parte, quæst. 29. art. 4. in corp.* *Indivduum autem est, quod est in se indistinctum, ab aliis verò distinctum.* Ex Porphyrio autem in sua *Isagoge cap. de specie* aliter sic definitur solet. *Est id, cuius collectio proprietatum in altero reperiri non potest.* Ex quibus duabus definitionibus priori omnino bene intellectæ standum est, ita nimirum ut per indistinctionem in se non quævis vnitatis, sed solum numerica intelligatur, iuxta illud Aristot. *lib. 3. Metaphysica, text. 14.* *Numero enim vnum dicere, aut singulare nihil differt; ita enim singulare dicimus, quod vnum numero est; vniuersale, quod in his.* Posterior enim definitio vel sub collectione proprietatum cuiusque indivdui comprehendit eius numericam vnitatem, & distinctionem ab aliis, vel non comprehendit? Si comprehendit, superflue cæteras proprietates commemorat quandoquidem per vnitatem, numericam, & distinctionem ab aliis sufficienter explicatur natura indivdui, ut videbitur. Si non comprehendit, non definit omne indivduum vniuersè, quia multa sunt quæ nullam habent proprietatem, per quam discriminentur ab aliis præter distinctionem ab eisdem. Et quidem per hanc definitionem Porphyrij non omnia individia, sed aliqua solum definiti, communis expositorum sententia est, ut notant Conimbr. in *Porphyrii Isagoge cap. de specie, quæst. 3. art. 1.*

Itaque singulare, seu indivduum dicimus id, quod vnum numericè est, & ab aliis distinctum. Per particulam *vnum* conuenit indivduum cum vniuersali, à quo differt per particulam *numericè*. Vnitatis quippe indivdui numerica est, id est, constituens vnum non commune multis, cum tamen vnitatis

vnitas vniuersalis, vniuersalis fit, id est, constituens vnum multis commune. Per particulam autem *ab aliis distinctum* differt vnūquodque indiuiduum à reliquis omnibus. Vltimata enim rerum differentia, & simplicissima omnium, & sine quā nulla alia differentia potest constare, distinctio est, quā inuicem inter se distinguuntur; siquidem omnis alia differentia, aut per dissimilitudinem, aut per inæqualitatem constituenda venit, vt ex dictis *disp. 16.* constat, atque etiam ex hīc dicendis constabit: dissimilia autem, aut inæqualia esse non possunt, nisi, quæ sunt distincta, vt est notum. Cū tamen distincta esse possint, quæ nec dissimilia sunt, neque inæqualia, nullamque aliam subinde differentiam inter se habent præter distinctionem; & hæc necessariò sunt solo numero differentia, atque adeo indiuidua.

199 Dices. Pleraque indiuidua præter vnitatem numericam, & distinctionem ab aliis habent alias proprietates, quibus in quantum indiuidua discriminantur, vt potè in quibus aut dissimilia, aut inæqualia sunt, vt cernere est in hominibus; in brutis, in plantis eiusdem speciei, &c. Ergo male definitur indiuiduum per solam vnitatem numericam, & distinctionem ab aliis. Omisso modò antecedente, de quo *infra quæst. 14.* nego consequentiam. Primò, quia non debet defini vnum quodque per omnes suas proprietates, sicut est definitur per vnā ex primis, & notissimis, iuxta doctrinam tradendam *infra disputat. 25.* qualis in indiuiduo est vnitas numerica, & distinctio ab aliis. Secundò, quia multa sunt etiam indiuidua, quæ vt talia nullam aliam proprietatem habent præter vnitatem numericam, & distinctionem ab aliis, vt patet in circulis, & quadratis, aliisque huiusmodi figuris omnino similibus, æqualibusque, & eiusdem materiæ, in coloribus eiusdem speciei intensis, & extensis æqualiter: in partibus omnino homogeneis, æqualibusque multorum compositorum, &c. Per vnitatem ergo numericam, & distinctionem ab aliis solam debet defini indiuiduum, vt omnibus indiuiduis definitio communis sit. De quo vide dicenda *in super q. 12.*

200 Iam verò indiuiduum logicè sumptum, siue secundò intentionaliter duabus definitionibus desumptis ex Porphy. *cap. de specie* solet communiter defini. Prima in quantum prædicatum, seu prædicabile; secunda in quantum, subiectum seu subiicibile, sic: *Indiuiduum est, quod de vno solo prædicatur. Indiuiduum est, quod subiicitur speciei.* Quot tamen modis indiuiduum de vno solo sit prædicabile. Quomodo etiam non soli speciei, sed etiam generi, cæterisque prædicabilibus vniuersalibus, multisque aliis singularibus sit subiicibile, ex dicendis *quæst. seq.* constabit.

Q V Æ S T I O X I.

Quotuplex sit singulare, seu indiuiduum?

201 I Ndiuiduum physicè, seu primò intentionaliter sumptum tot modis diuidi posse, quot diuiditur ens, indubitatum est. Atque ita aliud est indiuiduum substantiale; aliud accidentale. Substantiale autem aliud spirituale; aliud corporeum. Corporeum rursus aliud viuens; aliud non viuens, &c. Accidentale similiter aliud est quantitatis; aliud relationis; aliud actionis; aliud passionis, &c. In quo

non opus est morari. Videantur diuisiones entis, *suprà disp. 9.* indicatæ.

202 Diuidunt præterea impræsentiarum indiuiduum physicè sumptum in vagum, & determinatum, sed hæc diuisio non est indiuiduorum propria, nam & conceptibus vniuersalibus conuenire potest, vt potè qui à nobis etiam concipi possunt vel determinatè, vel vagè, siue sub disiunctione. Tota quippe discretio conceptus vagi à determinato à nostro modo concipiendi promanat, quoniam à parte rei nihil omnino vagum est, sed cuncta omnino determinata sunt, determinatèque assignabilia, siue demonstrabilia non solum quoad esse, de quo nemo dubitat, sed etiam quoad respici in se, siue tangi per aliquem actum, siue respectum, vt nos censemus, & latè ostendimus *suprà disp. 10.* Quo iure etiam censemus, eos solum, qui res cognoscunt per species alienas, siue in alienis substitutis posse conceptus vagos formare, siue aliquid vagè concipere: non item eos, qui cognoscunt per species proprias tætis obiectis in se ipsis, atque adeo prout in se sunt vt *suprà iam disp. 2. q. 3.* tetigimus & latius *disp. 10.* citatè explicauimus. Vbi de his plura.

203 Aliter tamen diuidendum est indiuiduum primò intentionaliter sumptum in completum, & incompletum. Indiuiduum completum dicitur quodlibet integrum cuiusvis speciei indiuiduum, prout iacet à parte rei. Vt hic homo, hæc aqua integra, hæc albedo. Incompletum autem, quod est pars indiuidui completi aut physica, vt hæc pars aquæ, hæc pars albedinis, aut metaphysica, vt hæc formalitas huius hominis, scilicet hoc viuens, hoc animal, hoc rationale, &c.

204 Iam verò indiuiduum logicè, seu secundò intentionaliter sumptum, nimirum in quantum prædicabile, aut subiicibile eodem venit ordine diuidendum, quo vniuersale pariter in quantum huiusmodi *q. 7.* diuisum est. Tamen non tot diuisiones, quot vniuersale patitur.

205 Imprimis enim prædicabile indiuiduum aliud essentialè, aliud accidentale est subiecto, de quo prædicatur. Nam vel nihil adiciit *suprà* subiectum ipsum, & sic est prædicabile essentialè, vel aliquid adiciit, & sic accidentale est.

206 Deinde prædicabile indiuiduum essentialè nihil subiecto adiciens, aut repetit totum subiectum, aut partem subiecti dumtaxat. Si totum prædicabile indiuiduum essentialè totale poterit dici. Si autem partem; partiale, nam pro his nomina propria non habemus. Pars autem, quam respicit partiale, per aliam contrahibilis esse nequit, cū sit indiuidua vt supponimus, vnique dumtaxat subiecto, non pluribus conueniens (in quo prædicabile indiuiduum partiale à prædicabili vniuersali partiali discriminatur). Potest tamen esse aut contractiua alterius, aut non contractiua. Si contractiua; erit prædicabile indiuiduum differentiale, siue differentia indiuidualis. Si verò non contractiua; erit prædicabile indiuiduum innominatum. Quale erit vtrique, si sumas concretum indiuiduale adiectiuum, coalescens præcisè ex subiecto, & ex duabus proprietatibus indiuidui vt formis; de eoque alteram eorum proprietatum prædices pariter in concreto, vt dicebamus in simili *q. citatè* de prædicabili vniuersali innominato. Vnde vides prædicabilia indiuidua essentialia tria hæcenus esse; quia tamen duo partialia aut metaphysicè, aut physicè talia esse possunt, exunt omnino quinque. Cū tamen prædicabilia vniuersalia essentialia formaliaque & directa sint decem, quinque metaphysica,